

# AD LOGARITHMOS KEPLERI

## APPENDIX I.

### EX TABULIS RUDOLPHINIS.

#### Tabularum Rudolphi Praecepta.

##### CAPUT I.

###### De arithmeticā logistica, in his tabulis necessaria.

Artem supputandi numeros logisticos in fronte Prutenicarum collocant Reinholdus et Maginus in suis resolutis. Hanc ergo artem praesuppono notam esse debere, praesertim ei, qui Logarithmos in usum non vult recipere. Hic igitur, si quid ei praceptorum logistices vel excidit vel de novo est ad discendum, ad Prutenicas recurrat adque ceteros arithmeticos, qui logistices vel praecpta tradunt, vel demonstrationes afferunt, e quorum numero est inter (auctores) \*) Graecos Barlaam Monachus.

Inveniet idem apud auctores dictos canonem hexacontadon, cuius subsidio multiplicationes et divisiones logisticae perficiuntur extractionesque radicum. Quem canonem in numerum tabularum istarum ob id ipsum non censui recipiendum, quia is veteri logisticae servit, cum in his tabulis nova ratio doceatur, sine canone hexacontadon, sine fatigacione mentis, cum lucro etiam temporis, et multiplicandi et dividendi logistice tanta exactione et praecisione, quanta tabularum instituto sufficit.

De numeratione. Quantum igitur ad numerationem attinet logisticam, uno verbo monendus est logista, in his tabulis ex consuetudine Tycho-nis, primi auctoris, hoc observari discriben, ut intervalla quidem planetarum numeris exprimantur absolutis in ea mensura, qua distantia Solis et Terrae mediocris est 100000, loca vero longitudinis et latitudinis eorumque motus medii, prosthaphaereses et anomaliae numeris figuratis seu logisticis, collectionis

---

Ea, quae cancellis inclusa minoribus expressa sunt typis, desumpta sunt ex codice Pulkoviensi.